

An Extract of a Letter of Monsieur *Hevelius*, lately written to the Publisher, together with the Copy of a Letter of Dr. *Wasmouth*, giving a large Account of a new *Astronomico-Chronological Work*, now by him preparing: Both deliver'd in the same Language, wherein they were written.

PRæterea cum nihil hac vice relatu dignum occurrat, quod vobis communicare possum; ecce copiam literarum ad amicum quandam meum exaratarum, de libri cuiusdam, à Cl. Doct. Wasmutho, *LL* Orientalium Kiloni Professore, conscripti argumento. Titulus est perquam splendidus; miraque Astronomis & Chronologis pollicetur; sed, num res ipsa promissa responsura sit, est quod valde dubitem. Profectò si præstare ea posset, omnes Astronomos maximā curā & molestiā, multoque labore, qui nos diu noctuq; torquet, liberaret, nec foret opus imposterum Cælos tanto studio contemplari. Quid vestratis, rerum Cælestium inspectoribus, bac de re videatur; numq; hæc res absq; veterum & recentiorum observationibus eò, quò ille vult, deduci queat, haud gravatim exponas, quæso.

Sequitur ipsum Apographum
Epistolæ Wasmuthianæ.

Quandoquidem præsens fert occasio, per Clar. Tuam Magnifico vestro Hevelio, ceu Astronomorum ævi nostri Celeberrimo, quædam mei, nunc sub manibus versantis, operis Astronomo-Chronologici præmetia communicandi; velim, Clar. tua viro summo per occasionem indicet, me, eratā mibi ansā ex Dn. Calovii discussione Ravianæ Chronologiæ, moliri jam fere per triennium Opus quoddam Astronomo-Chronologicum; quod, uti à me conceptum, & maximā parte jam effectum est, sustinere posse, citra ja-
etantiam, putem hunc titulum: Annales cæli & temporum perpetui, sive, mysteria Astronomo-Chronologica, à seculo abscondita, nunc per Dei gratiam detecta & evidenter asserta Libris III.

Quorum primus (i.) destruet illam hæc tenus vulgatam Astronomorum hypothesis de duplice motu corporum Cælestium contrario; altero, primi mobilis, motu Raptū dicto, in occasum; altero, proprio secundorum mobilium, in ortum; ex quo propter impa-

impares paribus temporibus motus, omnino statuenda ipsis venit in-
 æqualitas arcuum Cælestium, adeoq; apogeum & perigeum cum
 excentricitate (cāq; quibusdam bisecta, aut plurium Epicyclorum)
 atque exinde motuum cælestium non apparet modo & optima quo-
 ad cūsum nostrum, sed & realis & physica inæqualitas (quā tamen
 indignius nihil perfectioni motuum illorum tribui posse, ipsimet in
 Riccioli Almagesto conqueruntur;) turn & universum varii &
 inexplicabiles ideo labyrinthi mobilium secundorum extruuntur, è
 quibus nullum unquam duxeris Ariadnæ aut computi laboriosissi-
 mi filum; quibusque per Geometrica Schemata delineandis &
 explicandis docentes juxta ac discentes subinde fatiscunt viribus
 ingenii. At cujus loco unus nunc, isque intellectu facillimus à no-
 bis afferetur omnium mobilium Cælestium motus simplex Spiralis,
 ab ortu in occasum, harmonico ejusmodo temperamento aliorum
 celeriorum, aliorum tardiorum, eorumque modo sublimius spirali-
 ter ascendentium à terra, modo humilius eidem appropinquantium,
 ut per hanc, aliorum post alios tardantium, seu remanentium spira-
 liter, diversitatem (non tam Astronomicā aliquā Hypothesi, quam
 veræ realitatis Theſi) omnia illa phænomena, etiam directionum,
 stationum, & retrogressionum in planetis, non modo perfectè
 possint solvi, sed & causæ evidentes tum illarum, tum progressio-
 nis (verius, remansionis pone sectiones vernales) stellarum fix-
 arum versus ortum, nec non omnium æquationum prosthæ-
 reticarum inter motus medios & Veros (nunquam hactenus ab ul-
 lo Astronomo datarum) ritè illinc patescant: Ruente hinc simul
 Systemate Copernicano (cum Scriptura S. adeo collidente, licet à
 plurimis & præcipuis hodie recepto) & veriori substituto, quod Pto-
 lemaico sit affine, sed sine orbium divisorum realitate. (2.) Cum
 hactenus omnibus omnis æci Astronomis confessa sit impossibilitas
 determinandi Annum Solarem Tropicum ad minuta usque, adçò
 ut Ricciolus, post 50 ferè principum Astronomorum divisorum de co-
 sententias, adhuc fluctuet suo, nos interim, (uti de hoc, ita passim
 de aliis omnibus per totum Almagestum;) mihi per Dei grati-
 am, annum istum tropicum solarem in minutis usque X^{mii} ita
 determinare licet, ut non modò à priori evidenter & apodictice
 demonstrem, fieri id aliter non posse; sed & à posteriori demon-
 strationis meæ veritatem evincam ex perpetua adeo computi mei
 cum annis civilibus & feriis æquinoctialibus concordia, ut ab
 initio

initio mundi, uno continuo & simili filo temporum ac motuum, initia tropica omnium & singulorum annorum, tam in seculis praeteritis, quam hoc praesenti, ac proximorum, ante aut retro, & futurorum in (infinitum si dentur) praeceps cā feriā hebdomadicā, horā ac minutis determinem, quibus ea evenisse & de incepis eventura, Ephemeridas (correctiores subinde per observationes novas, alioquin, eis iisdem semper tabulis quibusunque motuum si fuerint descendæ, quo plurium seculorum, eò magis aberraturæ) consorditer exhibent: Quin inò, non solum tropica illa initia annorum, sed etiam, per exactissimas equationes prosthaphæreticas diurnas, præfino non minus præcise ipsos tropicos solis ingressus in unumquodque signum & quemlibet signi gradum, quā scil. feriā hebdomadicā, quāq; horā quibusque minutis singuli illi fiant singulis annis; Ephemeridibus hīc pariter, quō recentioribus, eò minus aberrantibus ad pauculas horas aut minuta: Astronomis ultrò facientibus, circa ingressus in signa aut gradus Aequinoctiales determinare se certitudinem omnimodam ad certas horas non posse; cum præfinitio mea ex uno semper æquabili temporum & motuum ducta ab initio mundi ad quolibet datum temporis punctum continuè deducatur, idque semper per minuta usque X^{ma} , & temporaliter & localiter. (3.) Cūm hæc tenus apud omnes in confessu sit, cornmensurandi motus solis cūm motibus Lunæ impossibilitas; unde hæc tenus Astronomis post quantamcumque observationum & calculorum diligentiam, postque omnes orbium, Epicyclorum atq; excentricitatum regularitates & irregularitates, aut variationes, semper tamen Luna adhuc audit & est Contumax Sidus: Mibi nunc, Dei gratiā, adeò morigera facta est, ut non modo cuiuscunque mensis Lunaris, tam Syndici, quam Periodici, dracon tici (seu iatitudinarii) & Apogealis (vulgò Anomalistici) quantitates temporales præcise designem in ipsis minutis usque X^{mis} ; tabulis quoque prælixeam calculatis & in eam rem constructis (ita scil. ut semper respondant phænomena, seu Ephemerides correctiores; tanis aliqui futuri omnibus harmoniarum commentis;) sed etiam, quanti semper motus, tum medii tum veri, tum apparentes seu v. si, Lunæ, Periodici, Dracontici, & Apogeales, fiant, tam intra singulas Syndicas Lunationes, quam in rā singulos annos Solares Tropicos; & quantæ in iis omnibus mediorum cum veris Aequationes prosthaphæreticæ per totum M. contextum, quantiscunque seculis, semper respon-

respondentibus & responsuris ubique phænomenis: Unde & omnium Eclipsium totius M. præcisa tempora semper investiganda & demonstranda infallibilem temporum seu ætatis M. dare possunt elemorum pro computo chronologico. Atque hæc omnia demonstro seu de loco, primùm quidem è principiis apocatastaticis (restitutione scil. solis & lune, cum stellis fixis, prout initio mundi constituerunt; quam ex anni solaris tropici demonstratá præcissimam quantitate, & temporali & locali, perspectissimè cognitam & definitam habeo;) inde verò à posteriori, per universalem perpetuāmque motuum harmonicorum cum phænomenis, quolibet tdato momento mundi concordiam comprobo.

Liber secundus, apodicticè hinc restituens universam fundationem chronologiam; cum & alias S. scriptura vet. testamenti sit fundamentum quidem multò verissimum Chronologiae, at variis variorum expositionibus & tormentis scripture ita labefactatum, ut in ætate mundi definienda, signatae Christi æra, ipsi chronologorum principes non annorum modò centenariis sed & milenariis, desidere ab invicem deprehendantur.

Liber tertius denique proponet veram hinc & solidam unionem temporum, quā scil. talis simul & semel fieri possit ac debet at correctio styli calendariographici, & gregoriani & juliani, ut nunquam deinceps aberrari iterum possit, aut ullā correctione iteratā egeamus (quali laborat gregoriana illa, semper post 400 quoisque annos denuo corrigenda, tridui ejccetione; dum scil. non quaterno quolibet anno (uti hac tenus) sed, ex cœlestis nostri anni tropici forma & quantitate, in opere meoclarissimè evictā, quinto quoque anno &, certis periodis, sexto demum fiat intercalatio seu Bisextilatio talis, quæ non egeat exemplili iterum ullo per omne ævum (cum præstet non abstulisse, quam ad restituendum tenet;) quā ratione nunquam à cœlesti tempore civili tempus abibit: Prout scopum hunc & finem unionis temporum exhibitus sum orbi christiano, confirmatusq; deo porrò juvanta; cuius auxilio, intra annum, partem operis potissimam typis mandari posse spero.

Quid super his magnifico Dn. Hevelio, aliisque Vestritibus, hujus studii peritis, videatur, rescire avidissimè desidero.

Hucusque Dn. Wasmuthius; qui ne spe & promissis suis amplissimis excidat, vehementer optamus.